

tam cupiditas, quam aviditas, cum diligentia et fide magistri quinque propemodum annos, ut haud proclive intellectu videretur, vter tandem, magister an discipulus, cessurus esset, vter esset e certamine honesto discessurus superior: atque animi utriusque, pietatis vinculo, ita copulati fuere et coniuncti, ut Heltus ab Camerario coleretur, tanquam parens, Camerarius ab Helto, ut filius, amaretur. Sed ut Ioachimus Georgio usus est Latinarum maxime litterarum doctore et magistro, ita linguae Graecae praecepta hausta ab eo esse reperio ex ore Mosellani quoque, Mesleri, et in primis Ricardi Croci, a quo primo accepimus Graecas litteras in Germania esse ita traditas, ut appareret, eas non solum perdisci posse penitus, sed ad cognoscendas etiam omnes disciplinas liberales valere quam plurimum. Huic magistrorum Camerarii egregiorum numero accessit Erfordiae, eo enim semet Lipsia, exacto quinquennio, contulerat, praeter alios plures, Eobanus ille Hessus, poetarum Latinorum aetatis suae in Germania facile princeps. Iam vero velim ipsi existimetis, Auditores, quantas doctrinae copias et opes necesse sit extitisse atque effloruisse e tanta eruditione, diligentia, fide, praeceptorum, et e tanta tamque infatiabili discendi cupiditate et assiduitate discipuli.

Eminuit autem in Camerario eluxitque tam accurata, tam exquisita, tam singularis, utriusque linguae scientia, quam et libris plurimis scribendis, et interpretandis scriptorum antiquorum monumentis, ita probavit, omnium intellegentium iudicio et sententia, ut valde dubium videatur, an repertus sit quisquam illa aetate, qui ei par poneretur in facultate

tate